

1527

Verum ex altera parte Pontifex, postquam pepigerat cum Cæsareanis inducias, suas copias e Neapolitano regno evocavit, classem ad Centumcellas regredi iussit; ducibus mandavit, ut quaecumque oppida in Neapolitanorum finibus ceperant, statim Cæsareanis restituerent; ac Joanni Viturio legato Veneto primum, mox Senatui inducias cum Cæsare initas, neque hostile aliquid adversum illum moliri imposterum posse, significavit. Patres præcipiti hoc Clementis consilio multa illi damna imminere jam tum mente prospiciebant. Quocirca ne hostium promissis nimium fideret; ne sua omnia incertæ fortunæ casibus objectaret, monebant. Ut enim Prorex quæ spondebat, quam maxime servare velit, quis Caroli Borbonii mentem satis perspectam haberet? cum paria imperia cum illo se habere dictitaret, ac præferoces ejusdem spiritus non adeo facile mitefcere posse haud dubium esset. Quod re ipsa evenit: nam cum Franciscus Guicciardinus a Borbonio petiisset, ut ab Ecclesiæ finibus abstinere: se quidem, respondit, ad inducias inter Cæsarem, ac Pontificem initas servandas apprime paratum esse: at milites contineri non posse; omnes ad bellum persequendum, stimulis veluti quibusdam percitos, ardorem nulla ratione compescendum præferre; se vero ad coercendam militum petulantiam, ac ruentes in martis aleam spiritus imparem esse. Itaque Rhenum flumen cum exercitu transgressus iter Flaminiam versus arripuit. Guicciardinus autem opem Reipublicæ implorabat, atque ut turbatis, & afflictis rebus Pontificis succurreret, flagitabat. Senatus non quæ Pontifex nuper adversus fidem, & jusjurandum egerat; sed quid e re communi esset, perpendens, pollicetur, si Borbonius cum exercitu hostiliter Ecclesiæ fines ingrediatur, arma pro Clemente sumpturum; legatoque exercitus mandatur, ut cum Salassiorum Duce, ac Francisco Guicciardino communicatis consiliis, Cæsareanorum explorata mente, ac viribus, equitatum gravioris, leviorisque armaturæ parent, omnia ad prælium opportuna instruant; ut, si res, atque tempus postulet, hostium conatus avertere, incolumesque res Pontificis servare possint.

*Franciscus
Guicciardinus a
Borbonio
petit, ut ab
Ecclesiæ fi-
nibus absti-
neat.*

Sed Carolum Borbonium nulla res remorari poterat, quin milites ulterius progredi sineret; licet Cæsar Ferramofca